



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 66. Cardinalis Delphinus mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

tur, ac demum a Pio V. illius Succes-  
 fore Sedis Apostolicæ Nuntius in Po-  
 loniam decernebatur: inde vero redux  
 Romanæ Urbis Vicarius, postea Data-  
 rius, atque anno Christi millesimo quin-  
 gentesimo septuagesimo Cardinalis no-  
 minabatur, ubi mortuo Ursino Cardi-  
 nale a Gregorio XIII. signandis literis  
 Apostolicis præponebatur: ast eo ipso  
 tempore, quo per crebra obsequia sese  
 de Ecclesia optime meritum reddebat,  
 Romæ die vigesima prima Novembris  
 hoc anno Domini millesimo quingen-  
 tesimo octogesimo tertio mortis invidia,  
 postquam sexagesimum primum ætatis  
 suæ annum exegerat, vivis ereptus  
 est, corpusque ejus absque ulla pompa  
 in Fratrum Prædicatorum Ecclesia fan-  
 ctæ Mariæ supra Minervam in Sacello  
 sancti Sebastiani prope Bernardini Car-  
 dinalis Fratris sui monumentum terræ  
 mandatum est.

§. LXVI.

*Cardinalis Delphinus mortuus.*

Tertius erat Zacharias Delphinus, Ve-  
 netus Andreæ Filius die vigesima  
 nona Maji anno restauratæ salutis mil-  
 lesimo quingentesimo vigesimo septimo  
 natus, qui percurso studiorum stadio  
 in Patavina Universitate tantos in scien-  
 tiis progressus fecerat, ut a Julio III.  
 Proto-

Sæcul. XVI.  
 A C. 1583.



Sæcul XVI  
A.C 1583.

Protonotarius Apostolicus, a Paulo autem quarto Pharenfis Episcopus crearetur, ab eodem Papa Sedis Apostolicæ Nuntius in Germaniam ad Ferdinandum ablegatus: postea Pio IV. ad divi Petri Cathedram evecto unacum Commendono tum Zacynthi Episcopo ad Protestantes Germaniæ Principes decernebatur, ut eos de continuata Tridenti Synodo certiores redderet, illosque eo venire rogaret, aut saltem ad transmittendos Deputatos suos induceret, qua dignitate insignis Naumburgensi Conventui intererat, ubi Sedis Apostolicæ jura tam strenue defendebat, ut a summo Pontifice in studii sui præmium purpura romana, licet absens, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto Mense Martio decoraretur, ac Jaurinensem in Hungaria Episcopatum obtineret. Obiit is sub Gregorii XIII. Pontificatu die decima nona Decembris Anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo tertio, ætatis vero suæ nonnisi quinquagesimo septimo, sepeliebaturque Romæ exigua pompa in templo sanctæ Mariæ supra Minervam haud procul a tumulto Moroni Cardinalis.

§. LXVII.